





1411/132 b 912 19

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS PVBLCI SPECIALIS  
DE

# STATIBVS PROVINCIALIBVS

Don

# Sand = Ständen

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS PERMISSV  
AC VALIDI PRAESIDII ASSISTENTIA

**DN. CHRIST. WILDVOGELII**

JCTI CONSVMMATISSIMI,

Confiliarii Saxo Ifenacensis Intimi, Curiae Provincialis & Scabinatus, nec non Facultatis Juridicae Assessoris Gravissimi, Juris Publ. itemque Cod. & Nov. Professi Ordinarii,

*Domini Patroni ac Praeceptoris aeternum devenerandi*  
publicae disquisitioni exhibet

*ad d. Decembr. M DCC XI.*

IN AUDITORIO JURIDICO  
**JOHANNES EMANVEL RVDOLPHI,**  
LEVCHTENBURGENSIS.

---

JENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.

Wildvogel's Dissertation



D I S S E R T A T I O J U R I S P U B L I C I S P E C I A L I T E R  
DE

STATIBVS PRO  
VINCIALIBVS



AVAM  
ILLVSTRIS IUSTITIAE ORDINIS PERMISSA  
AC VALIDI BRACHII ASSISTENTIA

DR. CHRIST. WILDOGELLI

DE IUSTITIA  
CONSTITUTI SACRO IUSTITIAE TRIBUNALI, QUAE PROVINCIIS & SAE-  
PITURAE, RECTORI FACULTATIS IURIDICAE AUSTRIACAE UNIVERSITATIS  
IURIS PUBLICI BRACHII COL. SAC. PROF. ORDINARIUS  
DOMINI, PATRIS AC PRAEPOSITI AUSTRIACAE ACADEMIAE  
PUBLICAE IUSTITIAE TRIBUNALI  
DIE 17. FEBRUARII 1774.

IN AFDITORIO IURIDICO  
IOHANNES EMANUEL RVDOLPHI

LEAE LITTEAE MVLLENBACHIAE



*Illustrissimo Domino*  
**DNO. JOHANNI FRIDERICO  
BACHOVIO,**

S. R. I. Libero Baroni ab Echt,  
Tobizæ, Romschuza, Ackendorffi, Zscheperizæque Dynasta,  
Augustissimi Romanorum Imperatoris Consilarii Imperii Dignita-  
tem juxta & Munia Sustinenti, potentissimi Regis Borussia Equi-  
ti, itemque Serenissimi Ducis Saxo Gothani Senatus  
Intimi moderatori & Cancellario.

Nec non

*Perillustri atque Excellentissimo Domino*

**DN. ADOLPHO CHRISTIANO  
A VEMANNO,**

Münchhoffi Hereditario, Serenissimi Ducis Saxo-Gothani  
Consilario Intimo,

Vt &

*Perillustri atque Generosissimo Domino*

**DNO. ANTONIO LVDOVICO  
DE SCHWARTZENFELS,**

Altenbergæ atque Ellebi Domino  
Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Consilario Intimo,  
Circuli Altenburgensis Præfecto,  
Curiaque Provincialis Saxonica Præsidi Vicario,

**DOMINIS SVIS GRATIOSIS**

*Evergetis Maximis*

Hoc qualequale studiorum academicorum specimen

*demissa devotaque mente offert*

**JOHANNES EMANVEL RVDOLPHI.**

DNO. JOHANNI FRIDERICO  
BACHOWITZ

Präsident des Collegii  
München Hofrat, Secretarius Ducis  
Cölnen Rat, Cölnen Rat, Cölnen Rat

DN. ADOLPHO CHRISTIANO  
AVERMANN

München Hofrat, Secretarius Ducis  
Cölnen Rat, Cölnen Rat, Cölnen Rat

DNO. ANTONIO LUDOVICO  
DE SCHWARTZENTEL

Präsident des Collegii  
München Hofrat, Secretarius Ducis  
Cölnen Rat, Cölnen Rat, Cölnen Rat

JOHANNES EMANUEL RUDOLPHI



❁ (o) ❁

ILLVSTRISSE BARO,  
PERILLVSRES DOMINI,

**P**resentes, quas conspicitis de Sta-  
tibus Provincialibus paginas, nulli  
magis, quam VOBIS, offerre de-  
bui; Sive enim theoreticam hujus  
materie dignitatem, sive vivam  
praxin respiciam, VOBIS certe  
has Juris Provincialis vindicias  
optimo summoque jure vindicare poteritis. Per VOS  
etenim stetit adhuc Reipublica Gothana Salus, veluti  
salutari & perfectissimo Triangulo; Per VOS stat  
Principis mei clementissimi ornamentum & Provin-  
cia decus egregium. Præter summam enim virtutem  
& prudentiam, quam in VOBIS omnes devote suspi-  
ciunt

❁ (o) ❁

ciunt, accedit patrii juris politica experientia, tot annorum experimentis exculta, tot comprobata iudicii & fidelitatis documentis, ut sortem privatam longius supergressi, in altiori regiminis culmine sedeatis, tanquam publica & privata fortuna Statores atque arbitri. Quae certe omnia tanta sunt, tantaque vi animum accendunt meum, ut non possim non communibus Optimorum accedere votis, & publico hoc specimine deprecari, quantum VOBIS me obstrictum cognoscam. Suscipiatis igitur, Domini Gratiiosi, hoc devincta mentis conamen, quod inter applaudentium vota, submisso cultu advoletur. Deus interea VOS, conservet in tutamen vestrae Reipublicae, ut sub VOBIS ulterius crescat floreat & augeatur Provinciarum cultura, optimorum ornamentum & mei quoque praesidium felicissimum, quod uti intimis ex votis apprecor: ita demississimo observantiae cultu magnopere expeto.

VESTRORVM ILLVSTRISSIMORVM ET  
PERILLVSTRIVM NOMINVM

cultor obsequiosissimus

subiectissimus

JOANN. EMAN. RVDOLPHI.



DISSERTATIO  
DE  
Statibus Provincialibus.

I.



icuti nulla domus sine ful- *Nulla Res-*  
cris suis ac fundamentis *publica si-*  
potest consistere; ita quo- *ne Ordini-*  
que Respublica suis opus *bus;*  
habet *Ordinibus*, quibus  
quasi columnis, juxta pru-  
dentiam, Politicæ archi-  
tectonicam innitatur, quo

Opus illud publicam justitia & prudentia funda-  
tum sit durabile, & opera illa regiminis per plu-  
res dispensata melius consistat, cui ferendæ unius  
Principis humeri pares esse non possunt. *Lips.*  
*Lib. III. Polit. cap. 3.* Inde Senatus Romanus, post  
excessum Augusti, versis ad Tiberium precibus

A

disse-

*Illustratur* differens memoratur a Tacito *Lib. I. Annal.*  
*loco Tacit. cap. 11. ibi: Se in partem curarum ab Augusto vo-*  
*catum, experiendo didicisse, quam arduum, quam*  
*subiectum fortuna, cuncta regendi onus: Proinde*  
*in civitate tot illustribus viris subnixæ non omnia*  
*ad unum deferenda; PLURES facilius munia Rei-*  
*publ. societatis laboribus executores. Add. Myler.*  
*Hyparch. cap. I. §. 16. Knichen. in Oper. Polit.*

II.

*Vtilitas* Est hæc certe prima ratio *Ordinum* illorum  
*Statuum* seu *Statuum provincialium*, uti hodie vocantur,  
*Provinc.* ut adessent Principi, tanquam Vicarii quidam  
*in republ.* & Consiliarii, imo quodammodo Socii regalis  
ac summæ illius potestatis, ad tuendam & gu-  
bernandam Rempublicam, ne scil. ista mero do-  
minatui, inconsulti fortasse Principis, permiffa in  
despoticum quoddam degeneret imperium, Bod-  
din. *de Republ. Lib. III. cap. 6.* Præterea ut sint velu-  
ti speculatores contra callidas externi hostis in-  
fidias, & moderatores tyrannidis ac direptionum  
bonorum imperii, Lips. *Lib. IV. Polit. cap. 6.*  
Vnde non inconcinne *Pars altera Reipublicæ* Sta-  
tus Provinciales vocari possunt, teste Lynck. in  
*Respons. Jur. resp. II. n. 29.* Steph. *de Jurisdicth.*  
*Lib. II. Part. I. cap. 7. n. 2. n. 130.*

III.

*Methodus* Non incongruum proinde erit, de origine  
*Et thema* & juribus illorum Statuum Provincialium paulo  
*Dissertat.* accuratius dispicere, & in brevi tantum Exerci-  
tationis academicæ compendio prima illorum  
linea-

lineamenta tradere, cum amplitudo hujus argu-  
menti pleniorē ejus elaborationem hac vice  
non permittat. Ita tamen procedemus, ut po-  
tissimum intra circulos germanicarum provin-  
ciarum maneamus, ne ulterius divagantes labor  
fiat inordinatus, & cum maxime nos nostraque  
patriæ debeamus, ideo patrii moris & status ma-  
gis curiosos nos esse decet, quam extranei, sæ-  
pè minus accomodi ad genium germanorum.

IV.

Status autem vocabulum in hac materia *Status vo-*  
recte *astando* deducimus, quod hisce, veluti ba- *cabulum*  
fibis, tota *stet* Respublica; Myler. *de Stat. Imper.* *in genere*  
*Part. I. cap. 9. §. 2.* vel quod hi Status *Stationem* *unde dica-*  
in provincia ac diatris provincialibus habeant, *tur.*  
Schvved. *Introd. ad Jus publ. Part. spec. Sect. II.*  
*cap. I. §. 1.* Die da nemlichen Stimme und Stand  
haben auf denen Land-Lägen; vel denique *a sta-*  
*tuendo*, quod ea, quæ ad summam Reipubl. con-  
servationem pertinent, simul cum principe *sta-*  
*tuere* soleant; Schvved. *loc. cit.* Ad cujus illustra-  
tionem pertinent ea, quæ habet Marchantius in  
*Descript. Flandr. p. 95. & seqq.* ibi: *Antiquum &*  
*usitatum est, publici concilii corpus, ex lectis totius*  
*regionis viris constatum, cogi, ut Reipubl. prospicia-*  
*tur, quoties Princeps vel atatis, vel mentis imbe-*  
*cillitate, vel captivitate non est potens Regni admi-*  
*nistrandi, vel ubi Principatus generali censura in-*  
*diget: vel bellum suscipiendum aut deponendum est,*  
*vel pecunia universo populo irroganda. Et licet*

in ea multitudine plerumque sententiis certetur, ta-  
men ex dissimilibus iudiciis, veluti ex distinctis so-  
nis, concentus harmonica proportionis efficitur, Rei-  
publ. salutaris, ubi in eundem scopum, h. e. populi  
utilitatem, collimatur. Illo Reipubl. firmamento non  
destituitur Flandria Respubl. sed tria genera seu  
Ordines complectitur, qui *STATVS* vocantur: quia in  
illorum auctoritate consiliisque Salus publica *STA-  
TIVIVR*, & stas subselliorum ordinibus distin-  
guuntur, nimirum Sacerdotium, Nobilitas, quatuor  
membra, (per qua membra certus intelligitur Sta-  
tuum ordo ac inprimis Urbium magistratus) sine  
quorum assensu neque pecuniam subsidiariam Comi-  
tes olim exigebant, neque bella suscipiebant &c.  
Est vero vocabulum *Status* recentioris notæ, li-  
cet teutonicum nomen, *Stände*, antiquius esse  
censeatur, uti ex monumentis publicis, per Gol-  
dastum collectis, aliisque rerum germanicarum  
scriptoribus patet. Confer. Limn. in *Jur. Publ.*  
*Lib. I. cap. 10. §. 1. & seqq.* Meier. de *Jur. Stat.*  
*Imper. Legislat. cap. 1. §. 1.*

V.

Dicitur  
etiam de  
Statibus  
Provinc.  
ex usu Im-  
perii.

Neque tantum hoc vocabulum de Statibus  
Imperii dicitur, qui votum ac sessionem in Co-  
mitiis Imperialibus habent; verum etiam stylo  
Imperii de Statibus provincialibus usurpatur. Hu-  
go de *Stat. Reg. Germ. cap. 4. n. 12.* Qui proinde  
ad differentiam illorum, *Status mediati* & subdi-  
ti vocantur. Exemplum occurrit in Instrumento  
Pacis Cæsario Suecico art. 16. §. 47. ibi: *Catho-  
licorum Augustane Confessionis addicti Status Pro-  
vincia-*

*vinciales & subditi.* Nec non appellatio germanica, **Stände**, de provincialibus Statibus, stylo imperiali probatur in Recess. Imp. de anno 1654. §. 180. ibi: und hiervon einiger *immediat*, oder *mediat* Stand, Stadt, Landsaß und Unterthanen nicht ausgenommen. Add. Ljmn. Tom. II. Addit. Lib. I. cap. 7. n. 101.

VI.

Dicuntur alias etiam *Ordines Provinciales* *Synonyma* *Besold.* in *Thef. pract. voc.* **Landschaft.** Item *Ephor.* *mia vocari,* *Althuf. Polit. cap. 18.* **Canzeley-Sassen** vocat *buli indagatur.* *Seckend. im Fürsten-Staat Part. II. cap. 7. n. 3.* ibi: Und die **Stände** des Landes oder **Canzeley-Sassen** durch die **Canzeley** und **Räthe** pflichtbar gemacht. Vnde etiam *Schilterus in Dissert. de Landsaß. cap. 1. n. 6.* ait: *Quos Romani Cives alicujus Provincie aut Reipubl. vocant, hinc nostris moribus, præsertim Saxonieis, Status atque Ordines. Stände, ut Reichs-Stände, Land-Stände, Ampts-Stände, appellantur, & Civium nomen municipibus aut subditis Civitatum sere remansit.*

VII.

Vocantur porro **Land-Herren**, in clausula, *vocantur* quam *Rudolphus I. Imperator Constitutioni suæ* *Land-* *Pacis publicæ* *subjecit: ibi: Was auch die Für-* *Herren.* *sten in ihren Lande mit der Landes-Herren* *Rath setzen &c.* *Confer. Lehmann. Chron. Spir. Lib. V. cap. 108.* Dicuntur denique **Landassen**, *Quatenus* *in d. R. 7. de anno 1654. §. 180. antea citato.* *Landasse* *Quod quidem recte admittitur, in sensu laxiori* *dici* *queant.*

notatur ex  
Schilt.

accepto vocabulo **Land-Sassen**, strictius vero  
sumta voce omnino differentia intercedit. Facit  
huc inprimis Schilterus in *Diss. de Landsass.* cujus  
verba non piget adscribere, relata in c. 7. d. *Tract.*  
ibi: *Jus Status Provincialis regulariter obtinent*  
**Landassii, Land-Sassen** sind zugleich auch **Land-**  
**Stände**, h. e. *habent jus comparendi in Diets seu*  
*Comitiis provincialibus; jus suffragii in iisdem seu*  
*wotum & sessionem. Quemadmodum scil. subditi*  
*Imperii immediati, die Reichs-Sassen*, plerum-  
*que sunt etiam Status Imperii, Assert. Altenburg.*  
*contra Waldeck. p. 210.* Verum enim vero sicut  
hoc fallit in Nobilibus immediatis Imperii &  
nonnullis civitatibus, Hortleder. *de causa bel.*  
*Geru. Lib. 5. cap. 12. n. 12. & cap. 18. n. 18. Gyl-*  
*mann. Tom. III. Symphor. Decis. Cameral. voce No-*  
*bilitas p. 285;* ubi immediate subjectum esse, la-  
rius patere dicitur, quam Statum esse: Ita etiam  
isthic dantur Landassii in hac vel illa provincia,  
qui jure Statuum destituuntur. Ratio est, quo-  
niam Jus Status vel suffragii non est effectus es-  
sentialis subjectionis vel acquisitæ civitatis, sed  
accidentalis, & dependet a forma Reipublicæ de-  
mocraticæ vel mixtæ. In his enim cives in co-  
mitiis jure suffragii gaudent utique, quod cer-  
nere luculente est in Republ. Romana prisca &  
veterum Græcorum; At in Monarchia vel Ari-  
stocratia, aut ex his mixta, cives non gaudent  
regulariter jure suffragii. Hinc mutata Reipubl.  
Romanæ forma post Julium Cæsarem, sub initium  
Princi-

Principatus Tiberii primum e campo comitia ad patres translata sunt: Nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis Tribuum fiebant, neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore, sunt verba Taciti *I. Annal. 15.* Imo vero etiam tam veteri Reipubl. Romanæ forma durante, non omnes cives Romani pari jure civitatem adipiscebantur, sed alii cum jure suffragii, alii sine jure suffragii, vid. Rosin. *Antiqu. Rom. Lib. 6. cap. 10. in fin.* Quare Jus civitatis & suffragii omnino diversa sunt, & alterum sine altero utique esse potest. vid. Schil. *Diss. de Jure Peregrin. §. 17.* Landsasii ergo, etsi sunt cives provinciæ, tamen non etiam necessario Status seu suffragatores.

IIX.

Originem Statuum provincialium quod attinet, sane nulla fere natio, præsertim Germanica, senatu ordinum provincialium antiquitus caruit. Isaac. Pontan. *de Orig. Francor. Lib. 6. cap. 11.* Licet pro diversitate regionum major vel minor illorum habebatur autoritas. Optimum hujus rei exemplar præbet vetus Ebraeorum Respublica, ubi ex instituto divinæ politiæ Moyses, Dux populi Hebræorum, consilii & juvenis causa adjunxit septuaginta viros e senioribus ac prudentioribus, cum quibus in commune conferret, si res ardui negotii incideret. Numer. cap. 19. Nimirum, ut haberent, inquit Philo

*Origo Statuum Provincialium a primis reformationibus deducitur.*

*Institutum Ebraeorum Reipubl.*

Philo Judæus, & imitentur posterorum Principes in libello de Creat. Princip.

IX.

Ratio politica ad-  
jicitur.

Facile vero patet, primaviam illorum originem ab ipsis rerumpubl. foundationibus esse deducendam. Nam, ut ait Speidel. in *Specul. Hist. Polit.* voc. *Landschafft*. Vicinque Reges ac alii Magnates in regnis ac territoriis suis absolutam habeant potestatem; nullam tamen christiano in orbe rempubl. reperire licet, que non Senatui, seu Ordinibus, gubernandi aliquam partem committere, cum iisque de rebus arduis, ad Regni vel Ducatus commodum spectandibus, deliberare soleat. Equum sane est, ut subditorum consensu suscipiantur, que sine eorum corporali ministerio pecuniarioque subsidio perfici non possunt. Ita namque natura comparatum est, ut libentius demus petenti, quam aliquid permittamus vi eripienti. Add. *Comin. Lib. III. Comment. cap. 1. Beföld. in Axiom. de Consil. polit. cap. ult. n. 4.*

X.

Status Germanie antiquus describitur.

Atque ipsum etiam Statum Germanie antiquum si respicimus, deprehenditur, fuisse semper quosdam *Primores* regni ac *Proceres*, tanquam adjuvatores regiminis. Etenim sicuti Germanorum ingenia semper libertati erant assueta, ita recte annotavit Tacitus; *In Germania nunquam regnatum fuisse ultra libertatem*. Neque enim illorum Reges de omnibus rebus suo arbitratu statuebant, sed in gravibus negotiis comitia

mitia convocabant atque ordines consulebant. Id quod imprimis in regno Francorum obtinuisse, Annales Francici testantur. Confer. Herii *Diss. de notit. veter. Francor. regni cap. 7.*

XI.

Deprehendimus autem triplicem potissimum Ordinem apud antiquos Germanos. In primo ordine erant *Antisites Ecclesie*. Hoc enim semper arcanum fuit regium, religionem simul in causis Reipublicæ consulere, quod maxime in superstitiosa gentis Germanicæ plebe multam habebat auctoritatem. Conf. Clapmar. *de arcan. Rerump.* In secundo erant *Proceres seculares*. Id quod maxime in Gothorum regno observabatur, ubi adjuncti erant dominantibus Senatores Proceresque *Anses* apud Jornandem dicti, ab *ansehen*, respicere, curare, ut Loccen. in *Antiquit. Suéc. Goth. Lib. 2. c. 4.* interpretatur. In tertio ordine erant *Magistratus municipales* civitatum ac communitarum, quarum quælibet ad conventus gentis suos habebat deputatos ac selectos viros. Add. Lehmann. in *Chron. Spir. Lib. II. cap. 3. it. Hachenberg. in Diss. de German. media Diss. I. th. 3. & seqq.*

Ordines  
German.  
antiqui.

XII.

Præsentis Imperii statum, & qualiter inde a temporibus Caroli M. fuerit, si perpendimus, credibile est, coepisse potissimum hæc *Ordinum Provincialium* jura vel ex antiquo cujusvis provincie statu, Conring. *Exercit. academ. de Ducib. & Comit. Germ. th. 32.* vel quod ipsi Principes ad

Recentior.  
Imper.  
Germ. sta-  
tus inda-  
gatur.

B

for-

formam Imperii suas provincias gubernare vel-  
lent; vel id potissimum occasionem dedisse, cen-  
sendum est, quod Principes Imperii successu  
temporis, hereditariam sibi vindicantes pote-  
statem ac propriam in territoriis, quibus hacten-  
us ut Præsides vel Comites saltem præfederant,  
aliquam libertatem reliquerint Nobilibus ac Ci-  
vitatibus, ut ita illorum imperium eo certius ac  
lubentius agnoscerent. Atque hæc deinde a suc-  
cessoribus per certa pacta cum primoribus inita,  
magis magisque stabilita sunt ac confirmata.  
Conf. Excell. Struv. *Diff. Jur. Publ. Diff.* 26.  
*ib.* 40.

XIII.

*Descriptio  
Status  
Provin-  
cial. in  
genere.*

Descriptio *Status Provincialis* dupliciter fie-  
ri potest. Altera in sensu generico, & indigita-  
tur per hoc vocabulum: *certum corpus, collectum  
ex certis viris deputatis, qui ex deputatione publi-  
ca vel privata, ordines & populum totius provin-  
cie representant.* Conf. Speidel. *in spec. hist. Po-  
lit. voce: Stände.* Licet enim Princeps totum  
populum representare dicatur, hic tamen cha-  
racter in iis casibus obtinet, ubi negotia popu-  
lum atque extraneum concernunt Principem vel  
gentem: tunc enim personam populi mysticam  
Princeps recte sustinere dicitur. At in iis ne-  
gotiis, quæ ipsum Principem & Ordines Impe-  
rii invicem consideratos concernunt, *unam* per-  
sonam Princeps, tanquam conventione sociali  
exemptus numero & potestate ac ordine populi;

*alse-*

❁ (II) ❁

alteram Respublica, & illam hoc casu repræsen-  
tantes Status Provinciales constituunt. Add. Hu-  
ber. de Jure Civit. Hert. Diff. de un. hom. plur.  
sust. person. ib. 8.

XIV.

In sensu vero *specifico* consideratus Status *in sensu*  
Provincialis, quatenus, præcipue in terris *Impe-*  
*speciali.*  
rii ac maxime Saxonice obtinet, describi potest;  
quod sit is: *Qui vel ex possessione honorum, vel*  
*privilegio aliquo ac observantia, votum ac sessio-*  
*nem in comitiis seu diatis provincialibus obtinuit.*  
Hugo de Statu Region. Germ. cap. 4. n. 12. Die da-  
nemischen Stimme und Stand auf denen Land-  
Tägen haben. Schvvet. Introd. in Jus publ. Part.  
spec. Sect. II. cap. 13. n. 17. Ita scilicet a potiori sit  
Statuum Provincialium descriptio, cum potissima  
& præcipua illorum auctoritas in istis conven-  
tibus spectetur, licet alias etiam extra illos spe-  
cialia quædam officia aulica expediant, quæ ta-  
men magis ad externum Principis honorem &  
splendorem provincie, quam ad internam Rei-  
publ. structuram & regimen pertinent. In hisce  
etenim officiis sunt ministrorum instar, in illis  
vero actibus de exercitio summæ potestatis qua-  
damtenus participant.

XV.

Esse igitur Statum Provinciale, ipsum *Statum*  
*Statum* personæ afficere, censemus, partim propter *Provinc.*  
subjectionem personalem, quam præstatio homa- *esse an af-*  
gii & possessio bonorum immobilium in terris *ficiat Sta-*  
Land- *tum.*

Landsasstatus involvit ; partim propter ipsum nexum civilem & characteres repræsentantios, quos Status Provincialis gerit, intuitu cujus conditionis non tantum certa participat commoda, fed etiam onera provincialia sustinere cogitur. Est tamen illa conditio Status nobilior atque liberior præ cæteris subditis, unde ordine etiam ac prærogativa a reliquis distinguuntur, scil. in *actibus* ipsis *provincialibus*; extra enim hos, qualitatem privatam personæ suæ propriæ gerunt, quam vel ratione natiuitatis, vel respectu dignitatis atque officii in Republica obtinent. Est vero hoc *Atributum Status Civilis Politici*, quod facit, ut status, qua status, separato & speciali jure adversus alios utatur, scil. in potestate statuendi de rebus Imperii ac provinciæ communibus, in titulis honorum ac prærogativa sessionis, vocationis & ordinis in actibus & negotiis comitialibus. Unde etiam in ipso Stylo Cancellariæ, Regiminis ac Curie Provincialis, illam differentiam in titulura aliisque rebus observari deprehendimus.

XVI.

*Est jus Status ex parte reale.* Est tamen hoc ipsum Jus Status non *mere* personale, sed ex parte etiam reale, adeoque *mixtam* quantam juris speciem constituit. Licet enim Status Provincialis certo quodam pecuniæ censu æstimari non soleat, uti olim apud Romanos in censu Senatorio & equestri observabatur, & hodie quoque in Collectis Imperialibus circa Status Imperii fieri consuevit; *Atamen*

men, quia Jus illud Status simul cum certorum quorundam bonorum immobilium possessionibus cohaeret, ideo ex parte reale quid est, & possessori ejusmodi bonorum communicatur. Hugo de Stat. Reg. Germ. cap. 4. §. 13.

XVII.

Concludunt inde Juris publici Scriptorum Status quidam; Statum Provinciale esse *subditum*. *Provinc.* Item; Quod in Comitibus Provincialibus comparere, arguat subjectionem, uti vult Gail. de Arrest. *an sit subditus.* cap. 7. n. 14. & ex eo Hugo de Stat. Region. German. cap. 4. n. 15. Verum hoc quidem regulariter procedere existimo, & praecipue in illis terris, ubi Landsassura obtinet; Non vero generaliter, si quidem propter privilegium exemptionis vel ex quadam observantia potest etiam ille inter Status esse, qui subditus quoad personam vel res non est, id quod saepius in terris extra Saxoniam obtingit.

XIIX.

Criteria ergo Status Provincialis sunt (I.) *Criterion* *Status(1.)* *bonorum* *immobili* *pos-* *sessio.* *posse* *bonorum immobilium, daß einer mit un-* *beweglichen Güthern in der Provinz angesetzt.* Licet enim credibile sit, antiquitas magis ad prudentiam & merita, quam possessiones bonorum, respectum fuisse habitum; Attamen successu temporis invaluit, ut isti Proceres vel ex liberalitate Principis, vel ex ratione quadam politica, bonis adacti fuerint, quo nimirum Princeps & Respublica haberet certiora fidei publicae pignora &

faciliorem assensum ad communia ferenda onera, quæ ita ex parte propriis simul bonorum possessionibus eroganda forent.

XIX.

*Landsassura effectus.* Exinde constat, quod in illis terris, ubi Landsassura die Landsasserey, in usu est, uti obtinet in terris Saxonis; Status Provincialis sit simul subditus Principi territoriali, in cujus territorio bona possidet, eique ad homagium teneatur, & non possit ejus forum in personalibus vel rebus actionibus declinare, Richter. *Vol. II. Consil. I.* Siquidem Jus Landsassatus hoc insert, ut quis non possit ibi bona possidere, sine onerosa qualitate subjectionis, Confer. Shilt. *Diss. de Jur. Landf.*

XX.

*non ubique obtinet.* In illis vero locis, ubi Landsassura non viget, non præcise ad Statum provincialem requiritur, ut etiam sit subditus provincie. Ita Diether. in *Continuat. Thes. Besold. voc. Landschafft* refert de Ducatu Württembergico; quod, licet Prælati & Abbates ad judicia Provincialia seu Land-Lage bey der Landschafft comparuerint, non tamen exinde pro subjectis & Landsassatis sint habendi. Dissentit Hugo de *Stat. Region. Germ. cap. 4. §. 15.*

XXI.

*alterum Critirium Status provincialis* (II.) Alterum critirium Status provincialis *Statum vo-* est votum ac Sessio in diæis provincialibus. Hoc enim tanquam necessarium consequens & effectus Juris Status præcipuus censetur, atque etiam

etiam ad probandam & defendendam possessio-  
 nem vel quasi juris Status omnino pertinet. Nec  
 tamen ad obtinendum tale votum & sessionem  
 speciali introductione per Superiorem, aut Ma-  
 reschallum provincialem, facienda opuse esse ar-  
 bitror, cum ipsa vocatio, comparitio & admis-  
 sio jus tale ac possessionem per se fundet, & ad-  
 misso profit ad exercitium juris sibi antea com-  
 petentis ex privilegio vel observantia occupan-  
 dum & manutenendum. Atque in judicio pos-  
 sessorio tale criterium, per actus possessorios le-  
 gitime probatum, priori preferendum esse, arbi-  
 tramur, nisi a parte adversa error, vel clande-  
 stinitas, vel ingestio quædam, nulla prævia voca-  
 tione doceri possit: hoc enim casu nec temporis  
 diuturni possessio jus mantenentiæ tribuere po-  
 terit. Ad obtinendum vero hoc jus, unicum actum  
 legitime exercitum sufficere arbitramur, si cæ-  
 tera concurrant, cum partim sit actus publicus,  
 qui pluribus privatis æquipollet, *argum. l. scriptu-  
 ras. ii. C. qui pot. in pign.* partim fide Comiti-  
 rum publica per Recessus & documenta pro-  
 vincialia approbatus.

*sessio in  
Comitiis  
Provinci-  
alibus, &  
qua ad  
ejus pro-  
bationem  
ac posses-  
sionem  
pertine-  
ant.*

XXII.

Habent igitur Jura Status Provincialis (I.) *Jus Stra-  
 tus habent*  
*Abbatès, Pralati* provincia, Schil-  
*Abbatès,*  
*Pralati &*  
*Acade-  
 mia*  
*de jur. obsis cap. II. §. 7. n. 34.* quorum etiam  
 pertinent Academia, in suo complexu scil. con-  
 siderata; neque enim singulis Professoribus da-  
 tur hoc Jus, ut singulis. Seckend. in Fürsten-  
 Staat

Staat p. 1. cap. 4. n. 5. Sede præterea vacante, hoc jus collegium vel capitulum exerceat, cum ad legem diocesanam spectare censeatur, cujus administratio, deficiente Prælato, capitularibus aut Collegiatis conceditur. Confer. Linck. de Jur. Episcop. cap. 10. Datur præterea illis hoc jus magis contemplatione rerum ac bonorum, quam in territorio possident, quam personarum, prout notat Hugo de Stat. Reg. Germ. cap. 4. §. 13.

XXIII.

an Episcopi ad Status Provinciales pertineant. Verum de Episcopis quaeritur, an inter Status Provinciales sint reverendi? Etenim major illorum videtur esse dignitas, quam ut Principibus subiectos esse conveniat. Hugo l. cit. cap. 4. §. 18. Nihilominus tamen alicubi in conventibus provincia etiam Episcopi quidam comparent. Ita inter ordines Holsatiae primo loco censetur Episcopus Lubecensis Conf. Jon. ab Elversfelt. in Tract. de Holsat. Stat. & ordin. Gastel. de Stat. publ. Europ. cap. de Episcop. Lubec.

XXIX.

quid juris in Episcopis, qui se exemptos prætendunt. Cæterum multi sunt Episcopi, qui Status controversiam patiuntur, dum ipsi se liberos esse & imperio tantum subiectos contendunt, Principes autem eos sibi in subjectionem asserunt; ceu videre licet ex Syllabo Exemptorum, quem Limnaeus libris suis de Jure Publico inseruit in Addit. ad Lib. I. cap. 7. Verum ratio hujus rei non potest esse obscura: siquidem ex antiquo Ger-

Germaniæ statu apparet, ipsos Episcopos sub Ducibus fuisse, atque in conventibus provinciæ, ubi Duces ex legatione Principum præsidebant, atque ac reliqui Prælati atque ordines se fuisse; Conf. Ziegler. *de Episcop. cap. 1. seqq.* Verum crescente deinde autoritate ecclesiasticorum, Episcopi hi Principibus, quibus subfuerant, paulatim se subtraxerunt, & Principibus Imperii se aggregarunt, atque inde frequentes illæ exemptionum controversiæ sunt exortæ. Quamvis igitur alicubi contemplatione bonorum nonnullorum in territorio Principis alicujus sitorum, ordinibus Provincialibus accenseantur & ad conventus provincialis vocentur: Nihilominus respectu aliorum bonorum, quæ ab Imperio immediate recognoscunt, Status Imperii sunt, & constitutionibus Imperii utuntur. Hugo *de Stat. Region. Germ. cap. 4. n. 18.* Add. R. I. zu Augsburg *de anno 1548. S. wie wohl auch in der Ringerungs-Handlung 66.* ubi in specie agitur de dignitatibus noviter a Comitibus aliisque Landsasfis obtentis.

XXV.

Exercēt autem tale Jus Statuum Provincialium non tantum isti Prælati, qui eidem, quæ Princeps territorii utitur, religioni sunt addicti; quanquam hi rari sint, cum plerumque fundationes pontificiæ in Præfecturas vel alias piæ causas sint immutata. Knichen. *de Jure territ. cap. IV. n. 490.* sed idem etiam jus habent diversa religionis Prælati. Et quidem de illis facilius

*quid juris in prælatis diverse religioni ad dictis.*

C

hoc

hoc conceditur, cum propter suspensionem Iudicium Pontificis in terris Protestantium, isti ordinaria potestati Principis territorialis subint. Verum de his in contrarium obstat exemptio clericorum, quæ adhuc hodie hisce casibus obtinet. Verum respondetur, quod hi Prælati mediati, ad exemplum Prælatorum immediatorum, duplicem personam representent, alteram Prælati, alteram Status provincialis, propter bona & prædia, quæ in territorio Principis possident. Licet igitur quoad personam & munus, quod sustinent, ecclesiasticum, exempti sint; quoad dominium tamen temporale, imperium Principis territorialis agnoscere tenentur, atque ad paria onera provincialia, uti coeteri obligantur, eademque ratione ad conventus provinciarum tanquam Status Provinciales vocantur, Conf. Kloek. *Vot. Camer. Relat. no. n. 14.* ubi Casus in causa *Bischoffs zu Hildesheim contra Herzogen zu Braunschweig, auf gemeine Clericoy-Güter gesetzte doppelte Schatzung* betreffend. Add. Hugo de *Stat. Region. Germ. cap. 4. n. 17.*

XXVI.

Equites  
ordines  
Teutonici  
sunt Status  
Provinciales.

Ad ordinem porro ecclesiasticum Statuum provincialium in ditionibus Principum, referuntur Equites Ordinis Teutonici; Hugo de *Stat. Region. Germ. cap. 4. n. 19.*

XXVII.

(II.) Ad Status Provinciales referuntur *Comites, milites, Barones & Dynaste*, bona immobilia sub *Barones ac Dynaste* territorii Principum Imperii possidentes, quæ antiquitus superioritati territoriali subiecta fuerunt, etiam si alias bona immediata sub Imperio possideant, & licet illa bona aliunde in feudum recognoscere teneantur; uti expresse sancitum per R. I. de anno 1654. §. 180. Seckend. in Fürsten-Staat Part. I. cap. 4. n. 3. *quinam sine Status.*

Datur autem illud jus & qualitas Status, Comitibus ac Baronibus, non tantum ratione bonorum allodialium, sed etiam feudalium. Licet enim Comitatus & Baronatus ad feuda regalia referantur, II. F. 10. quorum proinde collatio, hodierna Imperii praxi, ad reservata Imperatoris pertinet. Attamen observantia Imperii obtinuit, quod feudorum ejusmodi antiquitus constitutorum investitura a Principibus territorii petatur, & illorum possessores simul & vasalli & subditi atque Status Provinciales esse queant. Add. Hugo de Stat. Region. Germ. cap. IV. n. 21. *an etiam bonorum feudalium possessio spectetur;*

(III.) Jura Status Provincialis participant *Nobiles* Nobiles *Schreffsassen*, prædia *Schreffsassen* in illa provincia possidentes, Seckend. in Fürsten-Staat Part. I. cap. 4. n. 3. Inhæret autem ista qualitas bonis, non personis. Unde etiam civis, vel *Sassen an Status, & quid juris in possessa.*

*ribus præ-  
diorum  
Schrift-  
fafsiorum.*

vel rusticus, imo Clericus, ejusmodi prædia Nobilium Schriftfafsia possidens, inter Status Provinciales numeratur, & votum atque sessionem in Comitii Provincialibus habet. Hugo *de Stat. Region Germ. cap. 4. §. 13. in fin.* Admittuntur tamen quandoque etiam Ambtsfahli, si ex privilegio vel observantia Jus tale obtinuerint. Dn. Struv. *Diss. Jur. Publ. Disp. XXVI. §. 39.* E contrario licet quis natalibus Nobilis sit, nisi tamen prædium equestre habeat, ad regionis conventus minime vocatur. Hugo *loc. cit.* Pertinet enim hoc jus ad jura nobilitatis non personalia, sed realia.

XXX.

*quid Juris  
in detento-  
re bonoü  
Schrift-  
fafsiorum  
v. g. Cre-  
ditore.*

Porro hic non inutiliter quaritur, an etiam natus detentor talium bonorum, jura Status consequatur, ein bloßer Inhaber solcher Schriftfafsigen Güther? Et distinguendum arbitramur, inter eum, qui jure proprio & jure in rem competente bona detinet; & eum, qui nomine saltem alieno, & jure tantum ad rem competente, detentionem bonorum habet; Priori jura Status non denegamus, cum hactenus ad emolumenta fundi & fructus juris territorii referenda esse censeantur; Non posteriori concedimus. Ad priorem proinde classem refertur creditor, qui vel jure pignoris, vel sub pacto retrovenditionis, talia bona detinet. Cum enim hic ratione fructuum ad onera provinciæ teneatur, ideo nec commodum suffragii ipsi in comitiis

tiis provincialibus, ac prospiciendi propriis simul commodis, erit denegantum. Etsi enim dominium & Jus reluendi reservatum sit debitori, & videatur rem, ac proinde jus rei coharens civiliter adhuc possidere, tamen propter actum translata possessionem realem pariter ac naturalem, & perceptionem fructuum, exercitium quoque illius juris realis translatum censetur, nisi debitor speciali quadam reservatione sibi prospexerit, vel contraria sit in regione observantia.

XXXI.

Ad posteriorem classem referendus est conductor prædiorum Schriftstasiorum, qui proinde jus Status non habet, cum neque jure proprio rem detineat, neque hoc jus videatur esse in commercio & censu locationis conductionis. Plenius tamen jus habebit Sequester, quippe qui ad jura futuri victoris conservanda tale jus recte exercere potest.

*in Conductore ac Sequestro.*

XXXII.

Nihil porro interesse arbitror, an quis ejusmodi bona jure domini pleni, an minus pleni possideat, quia domini directi pariter interest, bona vasalli vel Emphyteuta conservari simul, cum servato Provinciae statu, quam ipsius Emphyteuta ac vasalli, vel subvasalli possessoris, ratione fructuum & onerum provincialium, quæ ex communi salute vel decremento ad ipsum immediate redundant. Posse tamen observantia regionis contraria induci, ut domini directi soli in conventibus provincialibus compareant,

*in Emphyteuta, Vasallo ac Domino directo.*

C 3

facile

facile concedimus, cum totum fere jus Statuum maxima ex parte ex observantia locali dependeat.

XXXIII.

*Civitates  
quoniam  
habeant  
jura Sta-  
tus Pro-  
vincialis.*

(IV.) Ad Status Provinciales pertinent Civitates provinciae majores ac primariae, & Senatus illarum municipalis, per suos deputatos comparsens in conventibus; Besold. *Tbes. Pract. Lit. L. n. 14.* Seckend. *Fürsten & Staat Part. I. cap. 4. §. 3.* Unde Coler. *de Process. Execut. Part. I. cap. 3. n. 6.* inquit: Und wird der gemeine Ausschuss von der Landschaft, das sind die von der Ritterschafft, und die von denen vornehmsten Städten, dazu beschrieben. Non tamen hoc jus communiter omnibus civitatibus competit, sed illis tantum, quae hoc jus antiquitus obtinuerunt, Dn. Struv. *Diff. de Jur. Publ. Diff. XXVI. th. 39.*

XXXIV.

*an Vici &  
Pagi.*

Vicis tamen, denen Flecken, ac pagis jus Status provincialis regulariter non competit, etiam si non Praefectis, denen Memtern, sed summis Principum Tribunalibus immediate subiciantur; Hugo *de Stat. Region. Germ. cap. 4. §. 25.* Nisi tamen contraria loci observantia probata fuerit.

XXXV.

*Ultimo ad  
Status  
pertinent,  
qui ex pri-*

(V.) Denique huc pertinent illi, qui ex speciali exemptionis privilegio, vel usu & possessione longissimi temporis spatio firmata, jus Sta-  
tus

tus Provincialis exercent. Intelligimus autem *privilegio illud* hic possessionem legitimam, quæ nec vi, nec *obtinuimus.* clam, nec precario obtenta fuit, aut ex errore quodam juris fuit admiffa: hæ enim circumstantia partim bonam fidem possessoris excludunt, partim consensum Collegii Provincialis tollunt. Nec tamen præcise tempus immemoriale ad hoc requiritur, quanquam enim jus Status Provincialis pars juris regalis esse videatur; attamen per hoc nihil detrahitur Principi, sed ordo tantum collegii ampliatur & sine præjudicio, tum Principis, tum Collegii, hoc fit, cum votum novi Status, quod accedit ad communium causarum deliberationes, tam pro, quam contra Principem cadere possit, & ita per pluralitatem votorum, aut hujus aut illius promoveatur utilitas. Simplex tamen exemptio a mediata jurisdictione, inferiori jus Status *per se* non tribuit. Nisi vel lex provinciæ fundamentalis taliter exemptis jus Status concedat, vel exemptio communi Statuum consensu, expresso vel tacito, sit facta, vel alias ad votum & sessionem talis exemptus legitime semel fuerit admiffus.

XXXVI.

Habet autem aliquis jus Status Provincialis *qui nomine alieno* vel ex jure proprio; vel mandato, quales *exercerant* sunt urbium, Capitulorum, Academiæ aliarum *jus Status, uti* que communitatum deputati *sunt Deputati.* *Abgeordneten der Gemeinden.* Debent vero *specia-*

Speciali mandato hi esse instructi, si non ratione officii publici, quod gerunt, compareant.

XXXVII.

*item Tutores & Curatores.*

Nomine pupillorum, minorennium & aliarum personarum, exercent jus Status illorum tutores, curatores vel actores, nominatim ac legitime constituti; sufficit tamen ad hoc solum tutorium ac curatorium a Magistratu ordinario confectum, siquidem administrationi bonorum illud jus, tanquam reale quid, cohærere censetur. Ut hinc tutori vel curatori etiam extra territorium constituentis, jus Status respectu bonorum minorennium alibi sitorum, exercere liceat, ob fidem constitutionis publicam, quam quilibet Magistratus & judicium ex usu Imperii & provinciæ habet.

XXXIIX.

*an investitura, item resignatio judicialis sit necessaria ad transferendum jus Status.*

Atque ideo Status jus suffragii in committis provincialibus plerumque consequuntur intuitu bonorum, quæ possident. Ubi adhuc notandum, quod, in quibus locis ad transferenda rerum immobilium dominia resignatione judiciali opus est, ibi etiam ad transferendum jus Status eandem esse necessariam, si non alia mens contrahentium appareat. Ex pari ratione investituram in bonis feudilibus possessori impetrandam esse censeo, si noviter feudum velit acquirere, cum per hanc demum plenum jus feudi & possessio feudalis transferatur. Et ita capio, quod dicit Hugo

Hugo de Stat. Reg. German. cap. 4. §. 24. quod Nobiles in conventibus provinciarum jus suffragii *jure feudi* plerumque habeant, scil. quod ad hoc sufficiat feudalis rerum immobilium possessio, per investituram collata, & quod non necesse sit, tale jus speciatim in literis investituræ exprimi, cum ipsi possessioni collatæ simul cohaereat. In illo tamen, qui in feudo successurus est, vel jure agnationis, vel ex pacto, investituram impetratam ad jus Status & obtinendum votum in diaris provincialibus, præcise non necessariam esse duco, modo delatio & occupatio feudi semel sit facta, & ipse paratus sit ad illam petendam. Cum enim talis ex pacto primi acquirentis, & providentia juris, ac contractus feudalis, jus habeat quæsitum ad obtinendam investituram; ideo ad hunc effectum pro facta omnino haberi potest. Si tamen jus illud in controversia sit, utique jus Status ipsi erit in suspenso. Patet vero ex his, plane excludi a jure status provincialis nudum *Expectativarium*, licet super expectantia abusivam investituram impetraverit, quia ista realem possessionem ac fructus vivo adhuc possessore non tribuit.

XXXIX.

Considerantur autem Status Provinciales Status duplici modo: vel conjunctim, vel separatim. *Provinciales representant totam Provinciam.* Conjunctim considerati, constituunt unum corpus, quod vocatur *eine gemeine Landschafft.* Klock. Tom. I. Conf. 20. n. 213. Besold. Thes. Pract. Lit.

*Lit. L. n. 14.* ac subditos universos & singulos representant, eorumque nomine in conventibus provincialibus deliberant & concludunt, adeo, ut, quicquid constituunt, ab universo populo & ab universis constitutum censeatur; Myler *de Stat. ac Princip. Imper. Part. II. c. 45. n. 3.* Schvved. *Introduc. ad Jus Publ. part. spec. Sect. II. cap. 17. n. 17.*

XL.

*Selectus  
ordinum  
Provinc.  
quis  
quotoplex.*

Vicem horum qui subeunt in conventibus aliisque actibus publicis provincialibus, vocari solent *der Landschafft Ausschuss*, & sunt selecti. Si quidam viri, qui ab iis, qui habent jura Status, missi sunt ad Principem; Myler *de Stat. & Princip. Imper. Part. II. cap. 45. n. 3.* Solet vero iste virorum selectus dividi, praesertim in terris Electoratus Saxonici, ut alius sit *der enge*; alius *der weitere Ausschuss*, prout deducit Gafel. *de Stat. Publ. Europ. cap. 9. §. 103. p. 415.* Et solet talis selectus in antecessum fieri in diatris provincialibus, ut Princeps casu necessitatis eveniente sciat, quos vocare debeat. Solet praeterea iste selectus Statuum convocari in causis, quae vel moram non fuerunt, vel si agatur de executione eorum punctorum, quae jam in publicis & communibus conventibus decreta fuerunt. Seckend. *in Fürsten-Staat Part. II. cap. 4. n. ult.*

Distributio Statuum Provincialium non ea- <sup>Distribu-</sup>  
dem ab antiquo in Imperio nostro fuit. <sup>Antio ordi-</sup>  
cuius distribuebantur Provincie in Ordines <sup>num pro-</sup>  
*maiores & minores*. Lique hoc ex iis, quæ ex Adel- <sup>vinc. ansi-</sup>  
hardi libello de ordine Palatii refert Hincmarus <sup>qua.</sup>

*Epist. 3. cap. 29. ibi: Consuetudo tunc temporis tri-*  
*ta erat, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo*  
*tenerentur; unum, quando ordinabatur Status to-*  
*tius regni ad anni vertentis spatium: quod ordina-*  
*tum nullus euentus rerum, nisi summa necessitas*  
*que similiter toti regno incumberebat, mutabat. In*  
*quo placito generalitas uniuersorum MAJORVM,*  
*etiam clericorum, quam Laicorum, conveniebant.*  
*SENIORES propter Consilium ordinandum: MINO-*  
*RES propter idem Consilium suscipiendum & inter-*  
*duum pariter tractandum. Per Majores etenim &*  
*Seniores intelligit Primores regni, & per Mino-*  
*res, ipsam plebem, uti declaratur in cap. 35. eiusd.*  
*Epist. ubi discrete scribitur; distinctis locis in comi-*  
*tiis istis Seniores & multitudinem resedisse. Fre-*  
*quenter porro, maxime sub temporibus Carolin-*  
*gicis, legitur distributio Ordinum, in Episcopos,*  
*Abbatas, Duces, Comites & reliquam plebem.*  
*Conf. Conring. Diss. de Duc. & comit. Imper-*  
*Germ. th. 32. Hachenberg. German. media. Dis-*  
*sert. II.*

*Hodierna.* Distributio hodierna Statuum Provincialium non est eadem, sed pro diversitate Provinciarum maxime variat. In plerisque terris Saxonis, potissimum Brandenburgicis ac Luneburgicis, Status Provinciales triplicis sunt ordinis, scilicet *Ecclesiastici, Nobiles & Urbium delegati.* In primo ordine recensentur Abbates, Monasteria, Prælati & Academia. Pseffing, in not. ad Vitriar. Instit. Jur. Publ. Lib. III. Tit. 17. §. 36. In secundo sunt Comites & Nobiles; In tercio civitates municipales, Myler. de Stat. & Princip. Imp. Part. II. cap. 45. n. 2. Atque hæc etiam differentia & ordinum prærogativa servatur in sessionibus, votando & præcedentiæ honore, circa actus comitiorum, inaugurationum, aliosque publicos.

XLIII.

In Austria Status Provinciales distinguuntur in Prælatos, Comites & Barones, ac Nobiles. Schvved. Introd. ad Jus Publ. Part. spec. Sect. II. cap. 13. n. 17. Alia territoria, non clausa potissimum, quæ solos habent Nobiles immediatos, saltim binos habent ordines, Prælatorum & civitatum, prout in Ducatu Wurtembergensi: Electoratus Palatinus vero ordines Provinciales non habet, licet tales non desint in Ducatu Neoburgensi & Bipontino. Europ. Herald Part. I. p. 301. Excell. Dn. Struv. syntagm. Jur. Publ. Diss. XXVI. tb. 39. Add. Besold. Thef. Pract. voc. Landschaft.

XLIV.

Habet autem ex his Statibus Provincialibus *competit*  
 quilibet eorum, jus ac suffragium æquale ac in *Jus Status*  
 solidum, sive illud ex persona propria, sive ex *cuiuslibet*  
 mandata participet. Unde inter illos de causis *æqualiter.*  
 communibus deliberantes obtinet *consensus colle-*  
*gialis,* & juxta pluralitatem votorum concluditur,  
 non habito respectu ad prerogativam ordinis vel  
 dignitatis. Quare non multis abhinc annis ci-  
 vitates Episcopatus Monasteriensis in conventu  
 Provinciali, quo de vectigali vino & cerevisiæ  
 imponendo actum fuerat, numero suffragiorum  
 a reliquis ordinibus, Prælati scil. & Equitibus  
 Episcopò assentientibus victa, mandatum cum  
 clausula contra Episcopum & reliquos ordines  
 in Camera imperiali obtinuerunt, quo executio-  
 nem decreti in conventu provinciali facti suspen-  
 dere jubebantur, donec res judicio, ad quod ci-  
 vitates provocabant, terminata esset. Conf. Hu-  
 go de Stat. Reg. Germ. cap. IV. n. 34.

XLV.

Potestas Statuum Provincialium in singulis *habent*  
 fere provinciis variat; generaliter tamen ad duo *Status vo-*  
 capita revocari potest. Aut enim Statuum Pro- *tum vel*  
 vincialium tanta est auctoritas, ut in conventi- *decisivum,*  
 bus provincialibus gaudeant voto *decisivo,* ita *vel consul-*  
 ut in negotiis majoris momenti, quæ ad statum *tativum.*  
 & conservationem totius provinciæ pertinent,  
 sine eorum assensu a Domino territorii nihil  
 D 3 per-

peragi possit: Aut vero illis in conventibus com-  
 petit saltem votum *consultativum*, ubi Status qui-  
 dem conveniunt, sed tantum circa distributio-  
 nem atque executionem placiti Principis delibe-  
 rantes Schopp. *Thef. Feud. Pract. cap. II. Sect. 5. obs. 3.* Eandem distinctionem sequitur Grotius de  
*7. B. & P. Lib. I. cap. 3. §. 10. n. 4.* ibi: Comititia  
*ordinum, i. e. conventus eorum, qui populum in*  
*clasis distributum referunt, alibi quidem in hoc*  
*serviunt dumtaxat, ut sint majus Regis Consilium,*  
*per quod querela populi, qua saepe in Consistorio re-*  
*tinentur, ad Regis aures perveniant; Cui deinde*  
*liberum sit statuere, quod ex usu ipsi videatur. Ali-*  
*bi etiam jus habent de actis Principum cognoscen-*  
*di, atque etiam leges prescribendi, quibus Princeps*  
*teneantur.*

XLVI.

Potestas  
 Statuum  
 speciem fa-  
 cit Aristo-  
 craticam  
 mixtam.

In illis igitur territoriis, ubi major quadam  
 est Statuum Provincialium autoritas, isti speciem  
 quandam aristocratiae, non purae quidem, sed mix-  
 tae, constituunt. Etenim est quidem Principum  
 Imperii in suis territoriis potestas monarchica,  
 veram aristocratice tunc per ordines provinciales  
 temperata, ut proinde in negotiis, quae politiam  
 potissimum atque regimen provinciae concer-  
 nunt, nimirum in causis Religionis, in legibus  
 sancendis, tributis imponendis, & reliquis, quae  
 ad custodiam Status & defensionem provinciae  
 faciunt, Statuum illorum consensus requiratur,  
 Excell. Struv. *Synagm. Jur. Publ. Dissert. XXVI.*  
 §. 39.

§. 39. Adeo quidem, ut hisce casibus Status dicantur habere fundatam intentionem communem juris præsumtionem pro se, vid. Burgold. *not. ad J. P. Part. I. Discurs. 22. n. 4. p. 621.*

XLVII.

Principia ergo, ex quibus Statuum illa potestas cognoscitur sunt varia. Primo etenim inspicienda sunt *pacta* seu *Reversales*, quæ Principes regimen suscipientes solent subjectis & Statibus suis subscribere. Seckend. *Fürsten-Staat. Part. II. cap. 4. §. 6.* Siquidem in nulla Germanorum republicaprehenditur, ut subditi absolute & sine omni reservatione Principi se dedeant, quo huic pro liberrimo suo arbitrio in illos dominari liceat. Quapropter antiquitus etiam in Germania moris fuit, ut ordines a novo Rege, antequam fide eidem se obstringerent, solemniter stipularentur, juste eum regnaturum, & honorem libertatem ac bona cuique salva manere debere. Conf. *Lebm. Chron. Spir. Lib. II. cap. 4.* Id tamen circa hæc monet Rhetius, quod talia pacta, si generaliter tantum concepta sint, in rebus per constitutiones Imperii Principibus speciatim postea indultis, non juvent. *Comment. Feud. Lib. I. tit. 1. n. 26.* Id quod adhuc hodierna Imperii præxi observari palam est. Neque Principes tantum electionis jure, sed & successione ad imperium pervenientes, talia promittere solent. Solet vero ista promissio & confirmatio jurium ac privilegiorum præcedere, & deinde demum sequi homa-

*Principia unde jura Status cognoscenda sunt pacta;*



homagium subjectionis, a Statibus & subditis præstari solitum; Add. Stephan. *de Jdict. Lib. II. Part. I. cap. 7. n. 363.*

XLVIII.

*item Privilegia Statibus concessa.*

Deinde consideranda sunt *Privilegia*, vel in prima provinciarum fundatione, vel alia speciali concessione acquisita, neque enim his Princeps sine justa causa derogare potest, cum ad formam regiminis fundamentalem pertinere censentur. Add. Myler. *de Statib. Imp. Part. II. cap. 47.*

XLIX.

*observantia provincial.*

Porro quotidie fere in istis inter Principem & Status Provinciales controversiis, ad *observantiam* provocari solet, wie es bissher in der observanz ist gehalten und hergebracht worden. Lynck. *in Respons. Jur. resp. 2. n. 69. 70.* Sicut enim in actibus Imperii observantia imperialis plurimum valet, ita quoque hæc in hisce casibus plurimum attenditur. Non tamen præcise hanc observantiam provincialem ad consuetudinis civilis vel Saxonica requisita alligandam esse velim, cum in hisce negotiis, quæ statum & politiam provinciae concernunt, extra ea, quæ juxta communes Imperii sanctiones constituta sunt, magis politica ratio, quam civile vel provinciale jus spectandum sit, utpote cujus regulis Princeps quoad suos subditos non obligatur. Æstimanda ideo hæc est observantia potissimum ex usu, aut ex possessione vel quasi antecessoris, qui ita præsentibus utentes in bona fide constituit & continuat.

tinuationem observantia fundat. Conf. Jo. Ge. Kulpif. *Differ. de observ. imp. habita Argentorat. 1685.*

L.

Ultimo tandem hisce casibus inspecienda *Forma re- est Forma* ejusque regiminis, genius populi & *Regiminis in- Ratio Status*, qui in qualibet provincia obtinet: *Specianda.* quippe quæ maxime in interpretatione & applica- tione istorum jurium & principiorum spectari debet, ut sit quasi temperamentum & a quilibet quoddam, secundum quod & rigor dominationis monarchicæ & libertas potestatis aristocraticæ ita dimetiatur, ne utraque noxia fiat reipubl. & tam communis quam particularis res in discrimen adducatur.

LI.

Vitis origine & principiis de Juribus Statuum Provinc. jam sequuntur *Jura ipsa & illorum exercitiam, quorum potissima saltem capita recensetimus.* Primum itaque ac maxime necessarium ordinum Provinc. est officium, providere reipubl. de *Novo principe & pactis ad salutem publicam spectantibus.* Schopp. *Thef. Feud. Pract. cap. II. Sect. V. obs. 3. p. 290.* Et quidem in *augurati- iis provinciis, vbi successione ordinaria imperia deferuntur proximis; vel ubi vivo Principe alius Principū.* designatus fuit consensu Statuum successor, ibi Statibus Provincialibus incumbit, non tam providere de novo, quam provisionem publica lege & fundatione semel inductam *conservare, & con-*

E tra

tra machinationes aliorum munire. Advertit tamen Hugo de Stat. Region. Germ. cap. IV. §. 5. ex Crantzii Saxon. Lib. XI. circa fin. aliquando in controversiis de successione Principum motis, ordines provinciales auctoritatem aliquam sibi arrogasse. Et pergit idem: Post Adolphi Ducis Sleswici & Comitis Holsatie obitum, quid contigerit, narrat Cranzius, cujus verba refert sequentia: Princeps ille bonus, quum pervenisset vivendo ad annum Christi quinquagesimum nonum post mille quadringentos, finem fecit vivendi, nullo herede legitimo sui corporis relicto: pervenitque res in contentionem de jure succedendi, inter Regem Danie Christianum, germana sorore Adolphi natum, & Ottonem de Schowenburg Comitem, qui longiori quidem gradu disabat, sed tamen ex masculino latere in feudo credebatur preferendus. Sed tamen Proceres Holsatorum sui fecere arbitrii, quem velent Dominum, elegeruntque Regem Danie, ut fieret Comes Holsatie, data ingenti pecunia Ottoni, qui juri suo renunciaret. In regnis vero electiis major certe Statuum provincialium habetur autoritas, quanquam hodierna Imperii praxi rarissima hujus juris sint vestigia, cum propter pacta confraternitatis datas, & confirmatas ab Imperio expectantias, & propter ordinarias successiones receptas vias, casus electionis vix possit in provinciis Statuum contingere.

LII.

Proximum constitutum provinciae Principem, est *Cura Religionis*, cuius custodia Statibus provincialibus recte incumbit. Quamvis enim cuilibet Imperi Statui jus reformandi & introduceati religionem aliam in sua provincia, vigore superioritatis territorialis competat, & subditis nulla contradicendi facultas competat; si tamen Princeps adversus pacta conventa, vel adversus instrumenta pacis atque pacificationes religiosas aliquid moliri velit, Statibus recte jus intercedendi competit; Seckend. *Fürsten-Staat Part. II. cap. 4. §. 4.*

LIII.

Posthac sequitur cura conservandi salutem *Potestas* & *Statum politicae* publicum. Ex quod fluit jus intercedendi & revocandi alienationes & oppignorationes bonorum ac jurium domanialium, quae Principi ad conservandum suum statum sunt deputata; siquidem omnium subditorum maxime interest, prospicere, ne domus principalis labefactetur & vires Principatus contabescant, quod fieri necesse est, si bona decedant ad instruendas illas destinata. Grot. *de Jur. B. & P. Lib. II. cap. 6. §. 9.* Hoc tamen jus civiliter est exercendum, si



scil. Status vel observantiam specialem pro se habeant, vel per tale factum ingens decrementum accipiat respubl. Lyncker. *Respons. Jur. resp. 2. n. 29. it. n. 69, 70.*

LIV.

*circa con-  
dendas or-  
dinationes  
provincia-  
les.*

In condendis porro *Legibus territorialibus* ac *Ordinationibus provincialibus*, an consensus Statuum provincialium requiratur, non una est Ddrum sententia. Affirmativam videtur statuere Coler. *de Process. Execut. Part. I. cap. 3. n. 6.* ubi; *Constituitur*, inquit, *jus provinciale per constitutiones Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum & aliorum superiorum vel rectorum in provinciis perpetua dignitatem habentium, cum consensu tamen primariorum ordinum & Statuum.* At Colerum ad mores Saxonum respicere, facile patet. Rectior ergo sententia contraria, scil. ad essentiam illarum constitutionum provincialium non pertinere, ut in comitiis provincialibus aut cum consensu ordinum latae sint, Meier. *de Stat. Jur. Legislat. cap. V. §. 14.* Prudenter tamen atque utiliter facere Principem, si adhibito consensu Statuum id faciat, facile concedimus. Id quod eleganter insinuant Theodos. & Valentinus Imp. in *L. 8. C. de LL.* ibi: *Humanum esse probamus, si quid de coetero in publica privataque causa emerferit necessarium, quod forma*

*manu*

*mam generalem & antiquis Legibus non insertam  
exposcat; id ab omnibus antea tam Proceribus no-  
stri Palatii, quam gloriosissimo coetu vestro, Patres  
conscripti, tractari, & si universis, tam iudicibus,  
quam vobis, placuerit, tunc legata dictari, & sic ea  
denuo collectis omnibus censi: & cum omnes con-  
senserint, tunc demum in sacro nostri nominis Con-  
sistorio recitari, ut universorum consensus nostrae  
serenitatis auctoritate firmetur; Juxta praxin de-  
nique Imperii etiam in hoc puncto observantiam  
& pacta conventa cum Statibus esse observa-  
nda, bene monet Myler. de Princip. ac Stat. Imp.  
Part. II. cap. 39. n. 9. 10.*

LV.

Non minus cura *Commerciorum* promovenda *Cura com-*  
dotum ad Status provinciales refertur. Unde *mercio-*  
Schopp, *Tbes. Feud. Pract. cap. II. Sect. V. obs. 3. rum.*  
p. 291. ait: *Status hinc provinciales in dieta*  
*provinciali de armata tutela, Commerciis, de*  
*are alieno solvendo, de proventibus Camera au-*  
*gendis, cum Principe suo pacta ineunt; qua-*  
*les Recessus provinciales praxis germanica innume-*  
*rabiles praebet. Dahero werden durch der Land-*  
*Stände Ausschuß die beliebte (1.) Kriegs-Ver-*  
*fassung (2.) Commerciell-Handel, an Korn,*  
*Holz, und andern Kauff, (3.) Umlofung der*  
*Nembter oder Aufnehmen Cammer-Schulden,*  
E 3 (4.) Ver-

(4.) Verfassung einer Schatz-Ordnung, *bonam fidem* dadurch zu erhalten, zum *effect* gebracht. Ita quoque disponitur in den Fürstl. Wollschiff. Land-Tags-Abschied zu Salz-Thale anno 1597. pro illius Ducatus commerciis §. 24. Daß der Korn-Kauff, der Vorkauff der Fürstl. Beambten, nicht der Armuth zum Nachtheil geschehe, die Ausfuhr bey bösen Jahren in Zeiten moderiret. §. 25. Zu denen Inländischen Jahrmärkten fremde Kramer nicht zu gestatten. §. 26. Der Holz-Kauff am Harz nicht gesteigert, noch die Diehlen verringert werden solle. Ita quoque Recessus Stetinensis de 20. 1633. §. 31. libertatem commerciorum antiquam subditis Pomeraniae restaurat, salvo tamen Ducibus Pomeraniae ab antiquo competenti jure ocludendi portus ac provinciam, tempore annonae caritatis.

LVI.

*circa imponendas collectas.*

Praterea in imponendis *collectis* consensus provincialium Statuum vel impetrandus ac requirendus, aut ad impositionem illarum, aut tantum ad illarum distributionem pro varietate scil. provincialium. Bocer. *de Collect.* cap. IV. §. 8. Myler. *de Princip. ac Stat. Imp.* cap. 62. n. 8. Non tamen Status consensum suum denegare possunt in iis *collectis*, quae vel publico vel antiquo jure sunt fundata, vel alias ad necessariam conservationem ac tuitionem vel provinciae vel totius Imperii exiguntur. Vnde etiam expresse provi-

provisum fuit per Capitulationem Josephinam Art. III. nicht zuzugeben, daß die Land-Stände, wider des künften Reichs. Abschieds ausdrückliche Verordnung, sich des Vertrags, womit jedes Churfürsten, Fürsten und Stands Landfassen und Untertanen, zu Besetz und Erhaltung derer einen und andern Reichs-Stand zu gehöriger Festungen, Plätze und Garnisonen &c. zur Angehörigkeit entschlagen; auf den Fall auch jemand von denen Land-Ständen oder Untertanen, wider dieses oder andere obberührte Sachen bey uns oder unsern Reichs. Hoff-Rath etwas anzubringen oder zu suchen, sich gelüsten lassen würde, wollen wir daran seyn, und darauf halten, daß ein solcher nicht leichtlich gehöret, sondern *alimine iudicii* ab, und zu schuldiger *partition* an seinen Landes-Fürsten und Herren gewiesen werde. Add. Seckend. Fürsten-Staat Part. III. cap. 3. regul. 8.

LVII.

Eodem pertinet consultatio & distributio *circa distributionem Creditorum & Debitorum publicorum, es machen nemlich die Landes-Herren mit zu thun derer Landes-Stände, eine gewisse Eintheilung des Schuld-Wesens, zwischen der Fürstl. Cammer und Land-Ständen. Vnde etiam differentia inter Cammer-Schulden, quæ ex Camera & peculio Principis exsolvenda sunt; & Land-Schulden, quæ ex arario provinciali sunt solvenda. Et frequenter in divisione feudorum regali*

galiam vel mutatione publici Status, Principes cum suis Provincialibus talem divisionem facere solent; prout exempla refert Schopp. *Thef. Feud. Pract. cap. II. Sect. V. obs. 3. p. 292.*

LIIX.

*circa militiam provincial.*

Porro hic quaritur; An Princeps Imperii in legenda militia provinciali consensu Statuum opus habeat; an vero jus illud invitis etiam Statibus exercere possit? Id quod ultimum affirmandum esse censemus, iis nimirum casibus, ubi Status justam dissentiendi causam non habent: cum publica salutis ratio & cura defendendi rempublicam præponderet privatorum præjudiciis, sæpe propriæ magis, quam publicæ utilitati intentis. Conf. Stryck. *in Diff. de militia provinc. cap. I. §. II. 12.*

LIX.

*circa eligendum Protectorem.*

Quaritur porro; An Status provinciales, infcio domino territorii, possint protectorem eligere? Quod olim graviter disceptatum fuit in causa Meintz contra Erfurt; de qua disceptatione videatur Gylmann. *Tom. II. Symphor. Part. I. tit. 2. Vol. I. n. 141.* Sed communiter negativa obtinuit per R. J. *Spirensis de anno 1541. §. und damit, Mager. de Advoc. arm. cap. 6. n. 244. Myler. de Stat. & Princip. Imp. Part. I. cap. 18. n. 29.* Exceptio tamen est in casu necessitatis, quando dominus territorii subditos vel propter negligentiam tutari nolit, vel propter absentiam aut impotentiam non possit. Ziegler. *ad Cal.*

Cal. §. Landsassii. Conclus. I. n. 85. & seqq. Secunda exceptio est, si dominus subditos adversus jura legitime quaesita crudeliter atque misere nimis tractet; Schilt. de Landsass. cap. VII. n. 14. Exceptio tertia est, si praescriperint subditi jus protectionis sive recipiendi protectores adversus dominum, juxta R. I. de no. 1555. §. Es soll auch 23. ibi: Es soll auch kein Stand den andern noch dessen Unterthanen zu seiner Religion zwingen, abpracticieren oder wider ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen, noch vertheidigen, in keinen weg. Und soll hiemit denjenigen, so hievor VON ALLEN Schutz und Schirm-Herren anzunehmen gehabt, hiedurch nichts benommen, und dieselben nicht gemeynet seyn.

LX.

Denique ad validitatem *Paſtorum confrater-* circa *vali-*  
*nitatis*, consensum Statuum provincialium re. *ditatem*  
quirant, ne scil. subditi inviti alienis & ignotis *paſtorum*  
dominis subdiciantur. Myler. de Princip. & Stat. *confrater-*  
*nitatis*, Imp. Part. I. cap. 25. n. 16. Adeo, ut licet alias in  
alienatione feudorum consensus domini directi  
& agnatorum in feudo veteri sufficiat, tamen in  
alienatione regnorum ille non habeatur sufficiens.  
Stryck. Exam. Jur. Feud. cap. XVI. qu. ult. Idque  
non tantum de toto imperio, sed etiam de parte  
territorii accipiendum esse, monet Grot. de J. B.  
& P. Lib. II. cap. 6. §. 7. Conf. Bersius de Paſt.  
Fam. illustr. cap. 5. Ferum etiam hac in re con-

F

ſuetu-

uetudines provinciarum germanicarum inspiciendas esse, bene monet Iter. de Feud. Imper. cap. XVII. §. ii.

LXI.

*Bona statuum provincialium quomodo differant a domanialibus.*

Post fundata jura Statum provincialium sequuntur *Media*, quibus conservari queant, quorum pertinent (i.) *Bona immediata*, quæ quilibet Status tum privatim, tum in specie conjunctim possidet, *gemeine Landschaft-Güter*, quæ tamen differunt a bonis Principum domanialibus, in eo potissimum, quod hæc in fructu sint Principis immediate; Illa sub dispositione & arario Statuum provincialium maneat. Lynck. *Respons. Jur. resp. II. n. 29. 30.*

LXII.

*quid juris in gabella detractio- nis.*

Deinde differentia est, quod potestas Principis etiam bona singulorum suo modo afficiat, & possit eo nomine in casu emigrationis vel transportationis in exterum territorium gabellam detractio- nis & censum emigrationis, *Abzug-Geld*, per suos ministros, Præfectos ibi prætere- dere; quod tamen jus Statibus provincialibus non comperit. Conf. Muller. *Resol. March. resol. 1. & seqq.* Neque enim hoc jus detractio- nis annexum Jdictioni censuum, licet hæc superior sit, sed potius ad jura superioritatis territorialis, & proinde reservata Principis pertinet, qui propter protectionem hæc præstitam tale præmium recipit. Unde etiam quotidiana praxi deprehendimus, talem censum Præfecturas prætere- dere ab emi- gran-



grantibus, non vero Senatus municipales, nisi ex speciali vel concessione, vel præscriptione tale jus antiquitus obtinuerint. Add. Zahn. *de Jur. Municip. cap. 72.* Knich. *de Jur. territ. cap. 3.* Max. *ad Jus Lubec. Lib. 1. tit. 2. art. 4. n. 18. & seqq.*

LXIII.

Ex quo pariter fluit, quod in alienatione *item in re-* bonorum singulorum civium *resignatio judicialis signatione* ad Jdictionalia Principis, atque eum spectet, qui *bonorum* nomine ejusdem vel patrimoniale[m] vel perso- *immobi-* nale[m] Jdictionem exercet. Nec Statuum provin- *lium,* cialium consensu ad hoc opus erit, utpote jurisdic- tione territorii destitutorum. Et quamvis illo- rum interesse videatur, scire possessores bono- rum propter collectas, illarumque impositiones, vel distributiones faciendas, atque ad conferen- das vires, provinciæ, ut eo facilior detur sum- tum & expensarum communium calculus; ta- men hanc ipsam notitiam ex Catastris publicis, *Steuer-Anschlägen*, aliisque relationibus satis commode comparare possunt.

LXIV.

Aliud sane dicendum foret, si bona singu- *quid juris* lorum civium, per modum alicujus privilegii *in Exem-* realis vel personalis, communi Catastro essent ex- *tionibus a* primita, quo casu Statuum consensu opus est, *Collectis.* ad hoc ut firma sint talia *Exemptionum* jura. Cum enim per tales frequentes exemptiones reliquo- rum subditorum bona multum graventur, quo- rum ita numerus in conferendis communibus



Collectis minuitur; ideo omnino consensu reliquorum Collectariorum opus erit. Unde pro his cautelam tradit Schilterus, ne consensus tacitus presumatur adversus illos, ut *protestentur* contra exemptionem, & collectas interim protestando solvant, & reservent sibi suum jus & actiones. *Prrx. Jur. Rom. in for. Germ. Exerc. I. tb. 27.* ubi etiam modum faciendae computationis collectarum in casu tali exemptionis demonstrat, & juxta regulas justitiæ examinat.

LXV.

*Conventus provinciales.*

Deinde ad jura Statuum provincialium conservanda, conducunt conventus, Comiticia seu diæta provinciales, quibus corpore Statuum congregato de communibus provinciæ causis deliberatur. Fiant autem tales conventus ex mandato superioris seu Principis, cui ex superioritate territoriali jus convocandi Status & indicendi comiticia, *den Land-Tag ausschreiben*, competit. Myler. *de Stat. ac Princip. Imp. Part. II. cap. 45.* Literas ejusmodi intimationis exhibet Fritsch. *Tract. de Convent. provincial. cap. 5.* Sunt hi vel ordinarii, vel extraordinarii; Et propositio ac Directorium fit a Principe ejusque Ministris. Unde inconsulto Principe Status ejusmodi conventus propria autoritate celebrare nequeunt, ne materia seditionum clandestinis istis congregationibus enasci possit. Atque idcirco etiam Electores obligarunt Imperatorem, ne concedat, ut sine præscitu Principis Status provinciales tales

les conventus, agere debeant. Prout expresse provisum in *Capitulatione Josephina art. 3.* Modum procedendi in Comitibus breviter ac in compendio exhibet Excell. Dn. Struv. *Syntagm. jur. publ. Diss. XXVI. ib. 42.*

LXVI.

Eodem porro referuntur *Visitationes Provinciales*, die *Land-visitationen*; Licet enim gravamina provincialia Status sapius ac plerumque in Comitibus provincialibus urgere soleant, *des Landes-Beschwerden vorbringen*; attamen non raro ulteriori discussioni reservantur, aut remediorum executio in posterum facienda praemittitur, *die Abstellung und remedierung derer Landes-gravaminum*, ut ita brevissimo illo spatio diatarum non omnia expediri queant. Partim etiam plura quandoque ab ipsis Statibus supprimuntur, utpote sibi onerosa, aut rei familiari forte noxia. Unde Commissarii deputari solent, vel ad instantiam ipsorum Statuum, vel proprio Principis motu, qui Statum cujusvis provinciae visitent, corruptelas & gravamina examinent, & desuper relationem faciant ad Principem. De quibus late Eritsch. *de visitat. provincial.*

LXVII.

Habent etiam Status provinciales suam *Cassa provincialis*, *Land-schafft-Cassa*. Quam tamen non privative possident, excluso nempe Principe territorii, cui exinde etiam inspectio in illam competit.

petit. Vñ expresse provifum legitur in *Capitulat. Joseph. Art. III.* ibi: auch nicht gut heiffen, noch zugeben, daß die Land-Stände die *disposition* über die Land-Steuer, deren Empfang, Ausgab und Rechnungs-Recessirung, mit Ausschliessung des Landes-Herren, *privative* vor und an sich ziehen, oder in dergleichen und andern Sachen ohne des Landes-Fürsten Vorwissen und Bewilligung *Conventen* anstellen, &c.

LXVIII.

*Jus Archivi & matricula Statibus provincial. competit.*

Datur præterea Statibus provincialibus jus habendi *Archivum*, ubi monumenta sua recondant. Id quod etiam tempore Justiniani civitatibus municipalibus licuisse, docet *Nov. XV. cap. 5. §. 2.* Nec non jus habendi *Regestrum*, ita *Matriculas* publicas ad fidem rerum gestarum, unde sæpe ipsa jura Statuum probari atque deduci possunt. Add. *Ruland. de Commissar. Lib. II. Part. V. cap. I.* *Speidel. Thes. Polit. voc. Land-Schreiber.*

LXIX.

*Ministri Statuum provinciarum.*

Ad explicanda negotia provincialia Status suos solent habere ministros; quorum tamen appellationes, officia atque installationes pro diversa locorum observantia variant. Tales sunt alicubi (1.) certi quidam *Cancellarii Land-Canzlar* quasi oratores ordinum provincialium, Hugo de

de Stat. Region. Germ. cap. IV. §. 30. Alibi sunt  
*Mareschalli, Land-Marschallen*, ex nobilitate ele-  
 cti, vel etiam hereditarii, qui ea, quæ ad Pro-  
 vincia comitia pertinent, curant. (II.) *Capitanei*  
 circulares, *Landes-Hauptleute*. vid. Schilt. *Prax.*  
*Jur. Rom. Diss. de Schriftfass. cap. VI. n. 5. 6.* His  
 accedit *Præfectus ararii provincialis, der Land-*  
*Schaffts-Casftrer*, alique inferioris ordinis. In  
 plerisque Regionibus ordines suos habent *Syndi-*  
*cos*, qui verba & scripta pro iis faciunt, regi-  
 straturam in *Conventibus* publicis concipiunt, &  
 ea generatim peragunt, quæ ad jura Statuum  
 tuenda & observantias loci ac provinciæ custo-  
 diendas pertinent.

LXX.

Forum competens Statuum provincialium *Forum*  
 est *Judicium Aulicum, das Hoff-oder Land-Ge-* *Statuum*  
*richte & Cancellaria Principis.* Hugo de Stat. Re. *Provinci-*  
*giox. Germ. cap. IV. n. 38.* Quæ *Judicia con-* *alium.*  
 currentem dicuntur habere *Jurisdictionem*. In  
 his tamen, quæ causam regiminis & subjectionis  
 concernunt, *Cancellariæ Principum* prerogati-  
 vum habere censentur, uti est *receptio homagii*  
 a Statibus, quæ fieri solet in *Cancellaria Add.*  
 Schilt. d. *Dissert. de Schriftfass. cap. 5. Seckend.*  
*Fürsten-Staat Part. II. cap. VII. n. 3.*

LXXI.

*Actio pre-  
judicialis  
Statibus  
competit.*

Inter remedia petitoria, quæ ad afferenda jura provincialia contra Principem territorii vel alios Con-Statum competunt, *Actio nem prejudicialem* referendam esse arbitror, utpote quæ ex ipso Statu petitiço Status provincialis descendere censetur, Schilt. *Prax. Jur. Rom. Exerc. ad Pand. III. ib. 26.*

*Quis sit  
Judex  
competens  
in causis  
Statuum  
contra  
Principem.*

Judicem in hisce controversiis contra *Principem* competentem, esse censemus *Camera Imperii*, vel *Judicium Aulicum Imperatoris*, cum hoc tamen moderamine, ut non statim ad querelas Statuum processus & citationes sint decernenda, sed literæ prius informatoria a Principe, contra quem querela nota, sint petenda. Uti expresse cautum in *Capitulat. Josephina Art. III. vers. auf den Fall, &c.*

*contra  
Con-Statum.*

Sin vero contra *Con-Statum*, de eodem ad jura provincialia & conventus publicos admittendo vel excludendo agatur, causam talem ad ipsa *Comitia provincialia* ablegandam esse censemus, ut vel ipse *Conventus & Corpus congregatorum provincialium*, vel *Commissarii* ab illis deputati causam

causam cognoscant, & corpus seu Collegium decidat; cum ipsi, tanquam corpori publice probato jurisdictionis quandam speciem in causis quæ mera jura Status concernunt, denegare non debeant, quatenus nimirum in toto suo complexu consideratur, licet singuli ac separatim jurisdictionem ac potestatem decisivam non habeant. Quod si vero quispiam tali sententia se gravatum esse putet, recursus & provocatio ad Superiorem isti nequam erit denegandus: adeoque causa illa vel ad Regimen Principis territorialis referenda, vel ad iudicium provinciale, *das Hoff-Gerichte*, illis sc. in locis ubi hæc iudicia obtinent, quippe quæ concurrentem Jurisdictionem habere, cernuntur, ut hinc etiam causas illas Status decidere possint.

LXXIV.

Definit quis Status Provincialis esse. (I.) *Quomodo*  
*Translatione* bonorum *Schriftstasorum* (II.) *mu-*  
*definat*  
*Staus*  
*provincia-*  
*lis.*  
 ratione dignitatis, cui forte jura Status coherant. Idque contingit vel ex libera voluntate, per resignationem fortasse domicilii spontaneam, quæ uti privatis permessa, ita nec Statibus deneganda: Vel propter delictum, idque per bannem non solum Imperii, sed etiam provinciale, siquidem & hoc jura provincialia & inde dependentia tollit. Nec non aliis modis hoc accidere potest, quibus aliquis propter perfidiam, contractam infamiam indignus fit Collegio & ordine provincialium, quæ cau-

G

sex ex

ſa ex jure potiffimum communi dependent, adeoque & illuc B. L. remittimus. Et plerumque, quæ cauſæ ſufficiunt ad excludendum Statum Imperii, eadem & Statum provinciæ faciunt inhabilem, cum nexus provincialis & Imperialis in pluribus conveniat, atque gradu ſaltem inter ſe differre dignoſcantur, prout Hugo in ſape allegato tractatu *de Stat. Region. German. cap. IV.* per integrum ſibi demonſtrandum ſumit.


LXXV.

*Epilogus.*

Atque hæc pro inſtituti ratione de hac materia ſufficiant, quæ quidem plenius elaborari potuiſſet, ſi ſpectes materiæ amplitudinem; Verum opus foret fere infinitum, ſi diſcordantes tot provinciarum obſervantias in unum redigere velles. Opus præterea invidioſum & lubricum, ſi nimis curatius arcana cujuſque Status perquirenda & ponderanda forent molimina, quæ Status Monarchici & Aristocratici prudentia ſtatifica & cautela ſuppeditat. Vnde concludimus, ſummarum arbitria & divinæ providentiæ, ſupermoque omnium rerum Statori & aliis intimioris Politicæ peritis ſtatuminanda relinquentes.

**F I N I S.**





ULB Halle  
006 519 679


3



Vol 18







1711, 132<sup>b</sup> 912. 12

D. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS PUBLICI SPECIALIS  
DE  
**STATIBVS PROVINCIALIBVS**

Non

**Land = Ständen**

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS PERMISSV  
AC VALIDI PRAESIDIJ ASSISTENTIA

**DN. CHRIST. WILDVOGELII**  
ICTI CONSVMMATISSIMI,  
Conſiliarii Saxo Iſenacenſis Intimi, Curia Provincialis & Sca-  
binatus, nec non Facultatis Juridicae Aſſeſſoris Grauiſſimi,  
Juris Publ. itemque Cod. & Nov. Profeſſ. Ordinarii,  
*Domini Patroni ac Praeceptoris aeternum deſeuerandi*  
publicae diſquiſitioni exhibet  
ad d. Decembr. M DCC XI.

IN AVDITORIO IVRIDICO  
**JOHANNES EMANVEL RVDOLPHI,**  
LEVCHTENBURGENSIS.

---

JENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.

